



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 9. Apollonius Thyanæus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

triæ indifferentem esse docuit. Ipse a
 sectariis sub Jovis specie, & sub figura
 Minervæ Helena adorabantur. Eorum
 sacrificuli in omnem licentiam effusi, ma-
 giæ, incantationibus, veneficiis amato-
 riis, somniorum interpretationibus cun-
 ctisque vanis observationibus vacabant.
 Hujus sectæ, nunquam persecutionem
 passæ, nihilominus ducentos post annos
 nullum vestigium superfuit.

Sæculum I.
 A.C. 34.

§. IX.

Apollonius Thianæus.

Illo tempore circa finem regni Tyberii, *Philost. vita*
 aut initium Caligulæ, celebris impo- *Apoll. lib. I.*
 stor Antiochiam venit, nomine Apollo- *c. 3. 4.*
 nius; quem pagani Apostolis, & Jesu
 Christo opponere non erubuerunt. Na-
 tus erat Thianæ in Cappadocia ex anti-
 qua, & opulenta familia, magno ingenio,
 & excellenti memoria, linguæ Græcæ pe-
 ritissimus, tali corporis specie, ut omnium
 in se attraheret oculos. Anno ætatis de-
 cimo quarto Tarsum Ciliciæ missus est a
 patre, ut eloquentiæ studeret; sed præ-
 placuit Philosophia, & inter sectas Pytha-
 gorica, quam anno decimo sexto profite-
 batur. Carnibus vesci respuit, utpote
 cibus ingenium, & sanguinem spissantibus,
 sed solis oleribus, & leguminibus. Vi-
 num non damnabat, abstinebat tamen,

B 3

tanquam

Sæculum I,
A. C. 34.

tanquam potu serenitatem animi obfuscare apto. Nudis incedebat pedibus, lineam tantum veste usus, ne quid attingeret, quod ab animali proveniret. Capillitium alebat, in templo Æsculapii habitans, cui Deo in amoribus esse, credi ambiebat, illumque in sua præsentia ægrotos curare facilius. Undequaque ad hunc juvenem erat concursus.

Terrenorum contemptum ostendit, media bonorum parte fratri natu majori relicta, majorique alterius medii portione in indigentes proximos sparsa, paucis sibi servatis. A nuptiis abhorruit, continentiam professus; non omnem tamen amoris impudici suspensionem, & incusationem effugit. Quinque annis silentium tenuit. Nec ideo hæsit in latebris, sed cum amicis Pamphiliam, & Ciliciam perambulavit. Seditiones exortas compefcuit a populo visus tantum, signis enim loquebatur, & urgente necessitate paucula verba scribebat.

Post quinque annorum silentium Antiochiam venit, cœpitque loqui apud illos, quos rationis capaciores sentiebat, cum aliorum contemptu. Stilus ejus nec poetice elevatus, nec cum affectatione politus. Non ironiis, non ambagibus utebatur, ut caperet auditores, quimos Socrati fuerat. Decisive pronuntiabat: Scio: Videtur mihi: Sciendum est.

est. Sententiæ, instar oraculorum, bre-
ves, & solidæ, verba in propria signifi-
catione accepta. *Non inquirō verita-
tem, aiebat, ut alii Philosophi, quæsi-
eam, dum essem junior, quærendi tempus
jam non est, sed docendi. Sapiētem, ut
Legislatorem, qui aliis præcipit, loqui de-
cet ea, quæ ipsi perspicua sunt.* Hanc do-
cendi rationem Antiochiæ tenuit Apollo-
nius, qua homines, alias a scientiarum
amore remotissimos, attrahebat. Cum
enim observasset Philosophos ob vanita-
tem eorum despectui habitos, se homi-
nem simulavit Diis charum, cui ipsi,
quæ doceret, suggessissent. Graviter
differere solitus de Religione apud il-
los, quibuscum agebat, Ethnicos re-
cepta.

Sæculum I.
A. C. 34.

Longis dein peregrinationibus ad
Brachmanos Indorum perrexit, ut eorum
mores periclitaretur, & in transitu Persa-
rum Magos videret. Ninive quidam Da-
mis ei junctus est, individuus deinceps
comes, qui ejus verba, & actiones om-
nes scripsit; de his autem relationibus
ad nos nihil, præter a Sophista Philostrato
annis ducentis posteriore collecta, per-
venit. Quam autem sint fabulosa, & a
gravitate Evangelica aliena, legentibus
patet.